ACADEMIÆ GISSENÆ
RECTOR,
TOTVSQVE PROFESSORUM ORDO,
Omnibus Omnium Facultatum
STUDIOSIS
S. P. D.

DIOGENES, teſte Laërtio [redacted] ab Hegeſia, rogatus ut ipſi aliquot libros commodato daret, *Non ſapis*, reſpondit, *Hegeſia, qui cum caricas non pictas, ſed veras eligas, vera exercitatione neglecta, ad ſcriptam te conferas:* Abſurdos exiſtimans eos, qui librorum recte vivendi præcepta continentium lectione potius, quam uſu addiſci poſſe credunt. Haut multum à vero aberrabimus, ſi hoc Diogenis dicterium, ad Philoſophiam Moralem potiſſimum collimans, paucis immutatis detorqueamus in omnes, quotquot ſolidam ex unica librorum lectione eruditionem aſſequendam ſperant. *Non ſapiunt, qui cum caricas, non pictas ſed veras eligunt, vera informandi ratione neglecta, ad ſcriptam vel pictam ſe conferunt.* Eſt intellectus humanus juxta Philoſophum inſtar tabulæ raſæ, cui nil inſcriptum, omnia tamen inſcribi poſſunt. Naſcitur homo omnium rerum cognitione & ſcientia deſtitutus, eſtque intellectus noſter non abſimilis mundo. Hic cum primum à Deo crearetur, rudis erat indigeſtaque moles, nullo corpore cœleſti aut ſublunari ornatus, poſt ſexdierum ſpatio tanta rerum varietate imbutus, ut ab ornamento & elegantia nomen fuerit adeptus. Sic & intellectus tractu temporis variis rerum ideis & figuris refertur, ut ad capienda plura vix ſit ſufficiens. Scribæ qui tanta rerum varietate hanc depingunt tabulam, ſunt ſenſus externi duo: Viſus & Auditus. Utri palma in hoc ſcribendi genere ſit tribuenda plures ambigunt. Neceſſitas utriusque eſt maxima, neque aliqua cognitionis adeptio ſperanda ab eo, utroque qui deſtituitur. Potiores tamen Auditui hoc in negotio adſcribendæ partes. Equidem inventis literis, Viſum quæ pictæ afficiunt, haut parum & hic quoque ſenſus informationi inſervit; aſt literæ illæ vicariam præſtant operam vocibus, eaſdemque exprimunt, quas prolatas Auditus cognoſcit. Fingetur autem nullas eſſe literas, vel vivere nos eo tempore quo omnis ſcriptura erat adhuc ignota, Auditus in addiſcendis diſciplinis præcipuas obtinebit partes. Rariſſima certe ſunt ingenia, quæ ſine vocis informatione, & abſque libris, proprio Marte omnia diſcere poſſunt. Neque prærogativam ſuam amiſiſſe Auditum literis inventis, vel Scholæ evincunt, ubi omnis, maxime vero prima inſtitutio loquendo & audiendo abſolvitur. Quod ſi ſola librorum lectione omnia potuiſſent addiſci, quid olim impuliſſet, & etiamnum impelleret ſapientiſſimos quosque ad ſuſcipienda itinera in loca magis diſſita audiendi Viros eruditione celebratiſſimos gratia, id quod olim factitaſſe Pythagoram, Anaxagoram, Homerum, Democritum, Platonem, alios ex Hiſtoricis conſtat. Videant ergo, & quomodo ſuis rebus conſulant αὐτοδίδακτοι perpendant. Hi certe ſi minus recte aſſequuntur Autoris mentem, nec rem, ut par erat, recte concipiunt, quia nullum ipſis ſuppetit medium conceptum errorem corrigendi, falſis opinionibus intellectum imbuunt, quas in publicum dum proferunt, omnibus ſanioribus ſe proſtituunt. Viva ergo vox ad eruditionem conſequendam adeo neceſſaria, ut ſine illa aut plane non, aut minus recte addiſci veritas poſſit. Hinc ordo docentium in Academiis inſtitutus, quo felicius metam ſibi propoſitam in ſtudiis aſſequi poſſint Studioſi. Hinc jubentibus Statutis noſtris ſingulis ſemeſtribus publice ſignificatur, quid adminiculi in ſtudiorum ſuorum curriculo ſtudioſi ſibi promittere poſſint. Huic mori morem gerentes ſequentem lectionum ſeriem omnium oculis exponimus. Sapiant, quorum intereſt, & veram potius quam pictam informandi rationem eligant. P. P. GISSÆ d. 5. Sept. 1669. Sub Sigillo Majore.

IN FACVLTATE THEOLOGICA.

PETRUS Haberkorn/ *S.Th.D.& Profeſſor P* abſoluto Articulo de Reſurrectione Chriſti in Lectionibus publicis progredietur ad Artic. de Aſcenſione Chriſti in Cælum, & Seſſione Ejus ad Dextram Patris; In Collegio privato, abſoluto hact. per Dei gratiam, denuò Curſu Diſputatorio contra Papiſtas, Calvinianos, Photinianos & Syncretiſtas, Collegium Explicatorium totius Theologiæ inſtituet, ita ut quovis die Explicatio ſit continuanda, binâ verò in hebdomade vice Diſputatio de Materiâ explicatâ ſit habenda. Si qui aliud quoddam Collegium expetent, deſiderio illorum etiam nequaq. deero.

JOHANNES NICOLAUS MISLERUS, *S.Theol.D. Ejus, & Hebr. Lingv. Prof.P.* Articulum de Filio Dei, volente Deo, publicè pertractabit. Collegium contra Pontificios privatim inſtituet; Hebraicum hactenus habitum continuaturus, in ulteriorem perfectionem.

MICHAEL SIRICIUS, *SS.Theol.D. & Profeſſ. Ordinarius*, Publicè in refutatione Novæ praxeos Maſenianæ perget. Privatim aperiet Collegium Catecheticum, in quo Incipientibus prima fundamenta fideliter explicabit, & poſtmodum Auditorum profectus brevi examine tentabit. In aliis etiam exercitiis non deerit Dominorum Studioſorum deſideriis.

PHILIPPUS LUDOVICUS HANNEKENIUS, *SS.Theol. D. & Profeſſ. extraord.* Diſputationibus nonnullis publicis, tum Collegio privato diſputatorio præcipuarum controverſiarum Dominis Studioſis, Deo volente, inſerviet.

IN FACVLTATE JVRIDICA.

GREGORIUS TÜLSNERUS, *U.J.D. Conſiliarius Haſſo-Darmſtadinus, & Profeſſor Ordinarius, Facultatis Senior, à Sereniſſimo Principe ac Domino*, DN. LUDOVICO, *Haſſiæ Landgravio &c.* quò ad Prælectiones publicas, rude clementiſſimè donatus; in aliis, Academiam & Facultatem concernentibus negotiis, quantum per vires corporis licebit, ſuo non deerit officio.

ANTON-HENRICUS MOLLENBECIUS, J.U.D. hactenus Reip. Rintelenſ. Syndicus, & nunc à Sereniſſimo Principi ac Domino, DN. LUDOVICO, Haſſiæ Landgravio &c. ad Ordinariam Juris Profeſſionem legitimè vocatus, quàm primum, fieri poterit, hic ſe ſiſtet, officio ſuo, tum publice, tum privatim DEO favente, ſatisfacturus. Collegia aperiet Lectoria pariter & Diſputatoria, nec minus, ut vocant, Examinatoria; prout futuris Auditoribus viſa fuerint gratiora & magis proficua. Diviſione quoque iſtas juridicas, quas juxta ſeriem Pandectarum diſpoſuit & primò Rintelii ante quindecim ferè annos in publicum emiſit, jam variis utiliſſimis ADDITIONIBUS Theoretico-Practicis illuſtratas & adauctas, in uſum Dominorum Studioſorum propediem divulgabit.

HENRICUS PETRUS Haberkorn/ *J.U.D. & Profeſſor Extraordinarius*, poſtquam aliquo uſque in explicatione Pandectarum, in Lectionibus publicè habitis progreſſus eſt, in futuris Lectionibus explicationem Illarum fideliter continuabit & perducet. Similiter in Collegio privato in Treutlerum, ſicut cœptum eſt, Diſputare, Eumque ſolidè explicare perget. Ita tamen ut uſus practicus ſimul ſit monſtrandus & utiliter annectendus. Collegium itidem Inſtitutionum Explicatorium, aliaque ſecundum Auditorum deſideria prompto ſtudio aperiet, & Deo adjuvante fructuosè abſolvet.

IN FACVLTATE MEDICA.

JOH. TACKIUS, *Phil. & Med. D. hujusq; Prof. & Archiater Haſſo-Darmſtadinus*, quousque in Aula commorabitur, ſcriptis in publicum emittendis, conſiliisque Medicis tàm Hippocratico, quàm Hermetico è fonte depromendis, ſuam Philiatris præſtabit opem. Ubi v. otium aulicum ipſi ad Academiam aperuerit viam, non ceſſabit, publicè privatimque pro Medicinæ Studioſorum ſpe & expectatione ſuam indefeſſam præſtare operam.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Prof. Ordin.* in publ. Lectionib. Medicis Tabulas practicas D. *Coſteri* explicabit, ex Recentiorum ſcriniis additurus ſubinde, quæ partim ad Theoriæ ulteriorem illuſtrationem, partim ad ipſius praxeos exercitium perficiendum, facere poſſe videbuntur. Privatim verò Dominorum Auditorum deſiderio ſeſe accommodabit.

MICHAEL Heiland/ *Phil. & Med. D. & Prof. Ord. p.t. Academiæ* RECTOR, quoties ocium ſuppetet, Purgantium doctrinam publice continuabit. Sua quoque ſtudia privatim experientur, quotquot Philiatrorum ea expetent.

HIERONYMUS Nöttel/ *D. & Profeſſor Extraordinarius*, quousque extra Academiam commorabitur, Scriptis & Conſiliis è Medicina depromendis ſuam Studioſis exhibebit operam. Poſtquam verò ad Academiam redibit, pro placito Dominorum Studioſorum facilè ſuam declarabit promptitudinem.

IN FACVLTATE PHILOSOPHICA.

KILIANUS RUDRAUFF, *Phil. M. Organ. & primæ Philoſ. Prof. P.* Conſvetis diebus & horis publicè legendo in Logicis exponet doctrinam Syllogiſticam. In Metaphyſicis ſeliget, ex Tabellis potiora in diſcurſus inde inſtituendos. Diſputando verò continuabit opuſcula incepta. Privatim quoque ad deſiderium & votum Dominorum Auditorum faciet officium.

M. JOHANNES Weiß/ *Mor. & Civ. Prof & h.t. Dec. Publicè* in Exercitationibus Ethicis Liebenthalii pervenit uſque ad XI. diſp. de Manſuetudine, quam impoſterum B.C.D. unà cum reliquis, debitâ diligentiâ ſuperaddet. In Politicis materiam de Republicâ in genere, nec non de Regno, Tyrannide & Dominatu, ſimiliter de Ariſtocratiâ & Oligarchiâ tradidit: inſtante nunc hyeme tractationem de Politiâ & Democratiâ, nec non de Republicâ mixtâ &c. ſubjunget. Exercitia quoque diſputatoria publica nulli expoſcenti denegabit. *Privatim* Collegia Ethica & Politica tam explicatoria, quàm diſputatoria pro deſiderio Dominorum Commilitonum inſtituet.

LAURENTIUS STRAUSS, *Med. D. & Phyſic. Prof. Ord. Phyſicam Hippocratéam, Excell.* Dn. D. *Joh. Daniel. Horſtii &c.* eâ quâ cœpit methodo, *publicè* explicare perget. *Privatis* verò lectionibus ea deſtinabit, quæ, præ reliquis, Dnn. Studioſ. arridere intelligat. Faxit DEUS, ut omnia feliciter!

PHIL. LUDOV. HANNEKENIUS, *Orator. Prof. Ordin.* in Flori explicatione *publicè*, ut cœpit, progredietur. *Privatim* habebit Collegium Voſſianum, ad methodum Ejus Inſtitut. Rhetor. & ad ſummam, accommodabit ſeſe deſiderio Dnn. Studioſorum, eaque omnia, DEO benignè adjuvante.

M. HEINRICUS PHASIANUS, *Græc. Ling. Hiſtor. & Poëſ. Prof. Ord.* DEO dante hâc hyeme continuabit cœptam Monarchiæ tertiæ ſeriem; atque ſeorſim Lagidarum, Seleucidarum, & Macedonum geſta exponet, præviis Plutarcho, Juſtino, Joſepho, & qui omnium ditiſſimus eſt & clariſſimus, Diodoro Siculo, è quibus fontibus recentiorum Optimi ſua hîc haurire ſolent, πολύτροπος quilibet, pro ingenio & eloquio ſuo. Ad exercendam *linguam & metrum* noſcendum Pindaro inhærebit. *Privatum* quoque Studium offert, ſi qui quid flagitaverint eorum, quæ Profeſſionis ratio injungit.

M. FRIDERICUS NITZSCHIUS, *Mathem. P. P. Ordin.* In Geometriâ favente DEO perget publicè, & ſimplicium abſolutâ Planimetriam atq; Stereometriam proponet, Agrimenſoriam atq; Aſtrognoſiam, ſi temporis id ratio permittit, additurus. *Privatim* quoq; perget in Collegio, quod cœpit Panto-Mathematico, ſiq; erunt, quibus arridebit Civilis Architectura aut Geographia, aut alia ſcientia Mathematica, nec in iis operâ deſiderari ſuam patietur.

GISSÆ HASSORUM,
Typis JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, *Academiæ Typogr. Ordin.*